magnitudo A, magnitudinē B; sive deficere dr. magnitudo B à magnitudine A, si totum B congruere possit parti ipsius A: & tunc reliqua pars ipsius A, dr tum excessus ipsius A supra B; tum defectus ipsius B ab A; tum differentia utriusq;. Æquale verò dicitur A ipsi B, si A nec majº, nec minº sit ipsa B.

20. Angulus BAC congruus dicitur angulo DEF, si applicato DE crure, cruri BA, etiam alterum crus EF, cadat in crus AC.

21. Angulus BAC major esse dicitur angulo DEF, si vertex E vertici A ita applicari potest, ut vel utraq; crura DE, EF cadant inter crura BA, AC: vel unum v. g. DE in BA, alterum FE inter BA, AC: sive si angulus DEF congruere possit parti anguli BAC.

22 Deinceps positi rectilinei anguli dicuntur BAC, CAD; si verticem A, & crus unum, v. g. AC, communia habeant & præterea reliqua crura BA, AD directim sita.

23. Rectè sive perpendiculariter cadit, vel insistit recta CD in rectam BA, si inde orti, deinceps positi anguli BDC, CDA inter se æquentur.

24. Obliq; cadit vel insistit recta CD in rectam BA, si anguli deinceps positi BDC & CDA inter se inæquales sint.

25. Rectus angulus dicitur, qui suo deinceps posito æqualis est.

26. Obtusus angulus dicitur, qui major est suo deinceps posito. sive qui excedit suum deinceps positum.

27. Acutus angulus dicitur, qui minor est suo deinceps posito.

28. Angulus rectilineus cavus quidem dicitur, qui minor est duobus rectis simul sumptis Convexus vero, qui major est duobus rectis simul sumptis.

29. Figura convexi termina quidem dicitur, cujus omnes anguli extrorsum convexi sunt: Cavi termina verò sive sinuosa, quæ aliquem (vel aliquos) habet angulos extrorsum cavos.